

[182v] Littere donationis magistri ^a Leonardi Guintii Florentini.

Ludovicus Maria Sfortia Anglus, dux Mediolani et cetera, Papie Anglerieque comes ac Genuae et Cremonae dominus, Leonardi Guintii Florentini pictoris celeberrimi virtutem nulli veterum pictorum nostro cum etiam peritissimorum iudicio profecto cedentem iis plane testantibus quae multifaria ^b iussu nostro opera aggressus est mirum artificis ingenium, [183r] si consumaverit longe uberius testatura, nos usque adeo promeruisse non inficiabimur ut, nisi eum aliquo munere ornaverimus, parum nobis ipsis satisfacere posse censeamus: igitur ut etiam sedis et mansionis apud nos suae quam nobis hactenus gratam, gratiorem etiam futuram in dies confidimus, initium faciamus. Tenore presentium ex certa scientia motu proprio et de potestatis nostrae plenitudine, omnibusque aliis modo, iure, via, causa et forma quibus validius et efficacius fieri potest eidem Leonardo, ratione benemeritorum de nobis suorum et ad rarissime virtutis ornatum, pro se eiusque filiis et descendentes ac eius heredibus in futurum, et quibus dederit, quovismodo damus, concedimus et donamus titulo pure, mere et inrevocabilis donationis inter vivos, perticas numero sexdecim soli seu fondi eius vineae quam ab abbacia seu monasterio Sancti Victoris in suburbano porte Vercellinae huius inclite ^c urbis nostrae Mediolani, canonice et apostolica dispensatione intercedente proxime acquisivimus, ut in eo spatio soli pro eius arbitrio edificare colere hortos, et quicquid ei vel posteris eius, vel quibus dederit ut supra libuerit, facere et disponere possit. Quibus perticis xvi terre ita concessis terminos et circumstantias coherentes alteris nostris aperte declarabimus, transferentes in ipsum Leonardum omnia iura omnesque actiones reales, personales, mixtas et ipotecarias, utiles et directas nobis et Camere nostrae quomodocumque spectantes et pertinentes, ac spectantia et pertinentia in dicto solo seu fundo vineae sibi ut supra concessio; ac ipsum Leonardum procuratorem in rem propriam constituentes ipsumque ponentes, et ponimus in locum, ius et statum nostrum pro dictis bonis ut dictum est donatis; constituentesque nos eius nomine ipsorum bonorum possessionem tenere donec ipse eam corporaliter apprehenderit, eius accipiende liberam ei ex nunc facimus potestatem; et apprehensa possessione de ipso spatio uti, frui, gaudere et in eo edificare et disponere prout sibi libuerit, tanquam de re propria, et prout nos possemus si presentem donationem non fecissemus; suppletentes omnem defectum cuiuslibet solemnitatis tam iure quam facti, quae in premissis intervenire debuisset; mandantes Magistris intratarum nostrarum utriusque Camere et ceteris omnibusque officialibus, magistratibus et subditis nostris presentis et futuris quibus spectat quatenus ipsum Leonardum in ipsarum xvi perticarum terre vineae praedictae possessione ponant et ipsum eiusque filios et descendentes et eius successores et quibus dederit sic libere disponere possit ut de re propria ut dictum est et quatenus has nostras concessionis et donationis litteras observent et faciant inviolabiliter observari. In quorum fidem presentes fieri iussimus et registrari nostrique sigilli impressione muniri. Data Mediolani, die xxvi aprilis 1499. Subscripta Ludovicus Maria Sfortia et signata Iohannes Iacobus Ferufinus cum sigillo ducali in cera alba soluto.

^a *Segue A depennato.* – ^b *Nel testo multifariam con inutile segno abbreviativo.* – ^c *Segue huius depennato.*